



G eorgius ille in Vallesia natus atq; educatus
 fuit. Erat is magna corporis & animi fortitu-
 dine præditus. Itaq; breui magnam autoritatem na-
 ctus est. Cum autē eo tempore Sfortiæ duces Me-
 diolanenses grauissimum bellum gererent cū Gal-
 liæ regibus, is sese Sfortijs adiunxit, atq; sua uirtute
 mirum in modum ipsorum partes fouit & cōserua-
 uit. Deinde uero cum Heluetijs post cruentam illam
 circa Mediolanum pugnam cum Francisco Frāco-
 rum rege anno 1515 fœdus inīssent, Georgius Galli
 partes secutus, res multas magna fortitudine præ-
 clarè gessit. Itaq; eques auratus creatus, atq; multis
 stipendijs annuis donatus fuit. Vnde factum ut in
 patriam reuersus multis honoribus & diuitijs auctus, principis instar familiā
 nutritret, atq; locum Glyss multis edificijs exornaret. Habuit is pulcherrimam
 uxorem, ex qua 12 filios & 13 filias progenuit: id quod in templo quodā ab eo
 constrūcto cernere licet. Ibi enim aureis literis ad mirabilem picturam, qua ip-
 se cum uxore & liberis ad uiuum exprimitur, in pariete hæc inscriptio extat:
 S. Annæ diuæ uirginis matri Georgius Supersaxo miles aur. hanc Capellam
 edidit, anno salutis 1519. Altare fundauit & dotauit iure Patron. heredibus suis
 reseruato, cum ex Margareta uxore natos xxij genuisset.